

IACOBI PELETARII MEDICI
 ET MATHEMATICI, IN COMMENTA-
 rium de Constitutione Horo-
 scopi,

PRAEFATIO.



In hoc spectatissimo Naturæ Theatro, rerum uarietas undique diffusa, primum ad causarum disquisitionem excitauit animos hominum, cognitionis insita cupiditate: inde disputationibus ultrò citroq̃ inductis, opinionum probabilitas suborta, ingenijs quidem multorum pro tempore satisfecit: sed tamen quæ temporum uicissitudinem experta, ætatem ferre non potuerit. Adeò ut in omni Philosophiæ artiumq̃ genere nemo acriori studio sit uersatus, qui non à prioribus non solum diuersa, sed etiam ijs contraria senserit: præterquam in Mathematicis, in quibus assensio uniuersa, æqualis & constans in omnium mentes cadit: idq̃ ordinis illius pulcherrimi beneficio: sine quo neq̃ Ars, neq̃ Scientia ulla esse potest. Is ex Numeris & Sonis tantã Arithmeticæ & Musicæ fidem conciliauit, ut utriusq̃ rationes non inducant, sed cogant. Formæ insuper Geometricæ, suis interuallis mutuisq̃ subsidijs ita conspirant inter se, ut quæ ex ijs nascuntur Problemata & Theoremata, suam habeant persuasionem probatissimam. At in Astronomica consideratione licet fides peræquè certa sit: tamen quum materiam habeat soli Naturæ perspectam, utpote corporum cœlestium motum, eget sensuum adminiculo, qui intellectui subseruiant. Ob id hypotheses proprias habet, non tam necessarias quàm probabiles. Nam ut singulari utar exemplo, terram stabilem esse hæctenus creditum est. Cui opinioni contrariam hypothesis Copernicus instituit: non nouam illam prorsus, sed quæ à communi Astronomorum consensu hæctenus fuerit seiuncta. Hic tamen opinioni locus est. Quippe etiamsi ponatur terra quiescere, constabit artis doctrina tolerabilis. Nam & falsa hypothesis ad ueri cognitionem ducit. At uerò ubi ex aliena positione fit iactura ueritatis, summa nos cautione niti decet, ne falsa pro ueris amplectamur. Quo magis mirari subit, in ipsa Iudiciorum Astronomicorum introductione, recentiores tam paruo iudicio fuisse, ut ueram duodecim locorum Cœlestium constitutionem (in qua Artis fundamentum consistebat)

g peruer